

presul Erluinus, qui tunc Camerace plebis curam agebat¹, non adeo ociosus, preciosi menbra corporis diligenter perscrutatus, preciosum corpus maxima ex parte invenit.

Sed et tempus advenerat, quo vetusta templi edificia, in quo beatum Autbertum tumulatum fuisse supra narravimus, renovari atque amplificari rerum oportuna necessitas commonebat, qua videlicet tempestate idem episcopus Erluinus adhuc ipsius statum regebat. Hic procurante Godefrido quodam suo archidiacono et ex censu proprio sumptus operis suppetitante monasterium ipsum maiori ambitu edificiū nobilitare studuit² et ministros, qui ibi cotidiano officio deservirent, deputavit plurimaque rebus ecclesie in usus famulantium ipse superaddidit. Sed cum in eo esset, ut sacrum corpus sedibus suis restituere deberet, morte preventus imperfectum opus reliquit. Post cuius transitum domnus Gerardus episcopus ecclesie ipsius gubernacula suscepit³. Qui peractis omnibus, que minus ante parata fuerant, monasterium ipsum cum magna cleri ac populi multitudine in honorem domini et memoriam beati Pauli apostoli die Kalendarum Octobrium consecravit sanctumque corpus suis sedibus decenter restituit anno dominice incarnationis millesimo quintodecimo, ordinationis vero ipsius tercio, indictione tercia decima, regnante imperatore Henrico. Sed inter agendum domno episcopo visum fuit, quod scrinium, in quo sanctum corpus iacebat quodque sui vetustate resolutum erat, renovare sanctumque thesaurum in eo recondere deberet. Quod cum sollicitius expleret, invenit quosdam ab integro corpore articulos defuisse, quos multorum testimonio et insuper rei ipsius manifesto indicio intelleximus per Fulbertum episcopum regi poscenti donatos. Est autem locus ille haud longe ab ecclesia beate et gloriose genitricis Marie intra muros urbis ipsius situs, in quo recta fide petentibus beato ac venerabili Christi confessore Autberto intercessore beneficia prestantur divina, regnante Deo et salvatore nostro Iesu Christo, cui est cum eterno Patre et Spiritu sancto virtus et honor, gloria et imperium, laus et potestas per infinita secula seculorum Amen.

St. Omer. n. 698 membr. 8^o saec. XII 67 fol. (Vgl. Archiv VIII, S. 414; Catalogue des man. des dép. III, p. 305 u. oben p. 492, N. 2). Auf dem ersten Blatt (Schmutzblatt) steht folgendes Reliquienverzeichnis manu saec. XIII.:

He reliquie continentur in capsā sancte Austraberte virginis. De sancto Cosma martyre. De sancto Ciriaco martyre.

1) 995—1012. 2) Vgl. Gesta episc. Camerac. c. 113 (SS. VII, p. 450): 'Huius praeceptione Godefridus suus quidam archidiaconus monasterium sancti Autberti, quod intra muros urbis est, amplioravit'. 3) 1012.